



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE XIII. AUGUSTI.



Arisis a. d. 18. Iulii.
Turcarum legatus,
quem nuper Regi
valedixisse nuntia-
bamus, Aurelianen-
sem quoque Ducem
nudius abhinc quar-

tus salutavit. Hodie Cameracensem
adibit Archiepiscopum; post duos vero
dies Bibliothecam regiam eum specta-
turum aiunt. Nobilissimo *Poulardo*,
quem Dux Aurelianensis, Præfectum mer-
catorum, (a) *Cairi* in Egypto commo-
rantium constituit, iniunctum est, vt
itineri sese quamprimum accingat; cre-
dimus igitur cum nauibus legati turcici
eum esse profecturum. (a) *Consul.*

Alia a. d. 21. Iulii. Cum idem turca-
rum Legatus a. d. 18. Iulii, Bibliothecam
regiam visurus, rheda veheretur, fa-
ctum est, vt Regi in platea S. Honorii

occurreret: quod cum Rex aduertisset,
etsi ei iam valedixerat, tamen colloqui
porro cum eo cupiens, propius cum
sua ad eius rhedam accessit, denuoque
eum salutavit: quem honorem sibi ex-
hibitum Turca permagni habuit, Regi-
que iterum verbis conceptissimis, valedi-
xit. Nullum iam est dubium, quin
proximo die veneris, ad suos tandem
sit reuersurus.

Roma a. d. 12. Iulii. Coniux Pro-Re-
gis Neapolitani, superiori hebdomade,
cum triremibus Neapolim hinc profici-
scentibus, discessit. Præterita Iouis die
sanctius Purpuratorum Consilium, in
quo res Religionis atque conscientie di-
iudicari solent, coierat, in quo de libel-
lo Ducis *Bracciani* consultatum esse fe-
runt: is enim a Pontifice summo petiit,
vt sibi coniugis mortuæ sororem germa-
nam, eamque Principis *Eorghese* vnicam
filiam,

filiam, matrimonio iungere liceat; sed quid ea de re statutum sit, adhuc ignoramus.

Londini a. d. 18. Iulii. Ducis *Somersetii* filius natus minor, qui curiæ superioris fuit assessor, morbo variolarum extinctus est. *Theodorus* quoque *Baylesius*, qui trium Regum, Caroli I. Caroli II. & Jacobi II. fuit pincerna, vitam nuper cum morte commutavit, postquam attigisset annum ætatis nonagesimum primum. Dux *Chandoisus*, munus summi gazæ regiæ præfecti (b) delatum accipere constanter recusavit.

(b) *Groß Schatz Meister.*

Cameraci, a. d. 19. Iulii. Litteræ, quas nouissime *Parisiis* accepimus, spem nobis faciunt maximam, fore, ut legati Principum, inter quos hic pax componi debet, antequam medius decurrat *Augustus*, confluent, quo factò *Conclavia*, curiæ nostræ, in quibus celebrabitur conuentus, tam splendide exornantur, ut omnibus spectantibus maxime sint admirationi.

Ratisbonæ, a. d. 25. Iulii. Haga Comitum accepimus status *Belgii* fœderati præter consuetum tempus, conuenisse, ut de litteris a *Vicario* classis Præfecto, *Sommelsdyckio*, missis, consilia caperent; decreuisseque, ut naues bellicæ *Hollandorum* in *Portibus* *Hispanicis* hient, atque sic primo vere aduersus barbaros, si pacis consilia reiecerint, exeant. *Clasficulam* vero illam sex nauibus augendam statuerunt, ut eo facilius barbaros ad pacem ineundam cogere valeant; nondum tamen *Prouincias* omnes eam in rem consensisse. *Oratores*, nonnullorum *Europæ* Principum, qui bello ultimo, *Republicam* *Belgii* fœderati milite subsidiario iuuerunt, magnas acceperunt pecunias.

Ex Prouinciis ad Albim inferiorem fitis

a. d. 26. Iulii. *Holmia* nuntiatur, legatum regis *Daniæ* propediem eo venturum, Regique *Sueciæ* nouum aliquod fœdus, nomine regis sui, oblaturum. Ceterum præcipuas pacis condiciones *Nystadii* compositas esse, tam certum haberi quam quod certissimum. Regem autem *Sueciæ*, postquam febricula decessisset, resumisse quidem vires, sed calculi tamen doloribus affici; nihilominus vero solemnitati, quæ *a. d. 15. huius, Catolibergæ* ob natalem Reginæ fuit instituta, interfuisse.

Haffniæ a. d. 22. Iulii. Omnes, qui cum Rege in *Holsatiam* proficisci debent, ea, quæ ad iter videntur necessaria, summo studio sibi comparant, persuasi enim sunt, regem eo post biduum certo discessurum.

Hamburgi a. d. 22. Iulii. Litteris *Haffniensibus*, quæ *a. d. 19. huius* scriptæ sunt, nuntiatur, pridie eius diei curso-rem illac, *Holmia* missum, transiisse, *Casselium*que properasse, eoque factò rumorem statim per urbem dilatatum, regem *Sueciæ* desiisse viuere. Haga Comitum perscriptum ad nos est, *Hispanorum* Oratorem, *Marchionem Beretti Landi*, coram delectis ordinum fœderati *Belgii*, contendisse quam vehementissime, rumorem in vulgus editum, de nouo inter suum, atque *Gallorum* regem fœdere, falsum esse omnino, & ab iis euulgatum, qui in id vnice sunt intenti, qua ratione animos Principum inter quos quadruplex fœdus coaluerat, dissociare possint. Interea tamen non desse, quæ conuentum *Cameraci* instituendum permultum sufflaminent, oratorem enim *Cæsareum* qui *Parisiis* est, palam profiteri, non missurum eo Imperatorem Legatos suos prius, quam *Philippum*, omni, tum in *Sardiniam*, tum in *Neapolitanum* regnum, ceterasque Italiæ

Italiae prouincias, iurè, & quidem consentientibus omnibus Hispaniae Proceribus, cessisse, certior factus fuerit, quod an futurum vnquam sit, plurimi dubitant. Dum hæc scribimus, litteræ adferuntur ex Suecia, ante hos septem dies exaratae, ex quibus percipimus, Regem, Holmiæ prospera ad huc vti valetudine, vnde coniecimus, cursorem, quem supra Casselium properasse diximus, non de morte regis, sed rebus aliis tulisse nuntium.

Norimberga a. d. 18. Iulii. D. Lämmermannus, nuper admodum in electionem Pontificis Maximi sequens Programmata cabbalisticum elaborauit.

MICHAEL ANGELVS de CONTI,
Romanus,
S. R. E. Card.
Regni Portugalliae Protector ut & Episcopus Viterbiensis,
Dei Gratia
S. P. R.

INNOCENTIUS XIII.
Nomine & omine
CHRISTIANI ORBIS NVTRITOR
TRIREGNO INFVLATVS,

	Anno		
InnOcEntIVS	I	3	
	O	4	
	E	2	
	I	3	
	V	5	
XIII		1	
		3	
PAPA	A	1	
	A	1	
(Nat.)	MDCLV	1655	
(d. Mai.)	XV	15	
(Elect.)	MDCCXXI	1	
		7	
		2	
		1	
(d. Mai.)	VIII	8	

(Coronat.) XVIII 1
(d. Mai.) 8

Summatim 1721

Etque tanto notabiliore quanto magis in propatulo est d. VIII. Mai. Electionis licet prorsus transposito,

	III	V	
& Natiuitatis			itidem
	V	X	
nihilo			fecius

Electionis 8 | 15 Natiuitatis,

Juncto autem utroque

El. 8

Nat. 1

Numero Ordinali XIII 1

Coronationis 18

Et quando Vocales ejusdem Nominis, nimirum

In 3

nO 4

cEn 2

tI 3

Vs 5

subsidio veniunt, cum triade Literarum initialium M. A.

G. siue 3

Pariter 38 Dies, queis in S. Conclavi PONTIFICIA

peracta feliciter Electio significari indigitari

PARÆNESIS CABBALISTICA.

ANGELVS en ! MICHAEL datus est

ARCHANGELVS

Vrbi,

Orbique INNOCVVS TERTIVS ac DECIMVS !

Anne alium Romæ præsens in Vota vocare

Vna-

Vnanimis potuit purpureusque
 Chorus:
 Cæsaribus anne alium poterant aliumve
 Potentum
 Missi COMMVNEM sollicitare PATREM.
 Præter quem voluit *Meritorum Gloria*,
 quemque
 Monstrarant *Omen*, *Nomen* & ipsa
Dies?
 Adspice vel *Numeros*, Samio sine teste
 loquentes,
 Divi quid cernes, ponderis insit eis!
Gadibus a. d. 1. Augusti. Naues in
 Americam profectæ secundum habue-
 runt ventum, speramus itaque breui
 nuntium, qui nos doceat, eas ad insulas
Canarias felicissime appulisse. Classi-
 culam *Sommelsdyckii*, quæ hoc tem-
 pore in inpro freto morabatur, hic bre-
 ui adfuturam credimus; piratæ enim
Algeriani, qui mare vtrumque minus
 tutum reddebant, omnes domum re-
 diisse feruntur. Ceterum, ad littora no-
 stra complures his diebus aduenerunt
 naues: in his sunt anglicæ 16. gallicæ
 12. vna Danica, iuxta & Hamburgensis.
Mantua Carpetanorum, a. d. 8. Iulii.
Stanbopius, Regis Magnæ Britannia Orator
 a. d. 4. huius Regem in secessu scoria-
 centi adiit, ac deinde cum Legato Gal-
 lorum consilia contulit. *Marchio Ari-
 sanus* in numerum Magnatum Hispani-
 corum primi ordinis adscitus est, quæ
 dignitas posteris quoque eius erit hæ-
 reditaria.
Algeria a. d. 6. Iunii. Piratæ nostri
 a. d. 29. Mai. nauigium quoddam Hol-
 landorum, cuius Domino *Laurentii
 Bommeri* nomen est, captum huc appu-
 lerunt. Præda, quæ in ea fuit præter
 vascula nonnulla mercium varii gene-
 ris, 1936. nummis aureis Portugallicis
 * æstimatur. *Bommerum* hunc Præfe-
 ctus summus, quem *Beyum* vccant, ad
 se adductum interrogauit, num reuera

classis Hollandica, Gades, eo sine ap-
 pulerit, vt Algeriam oppugnet, quod
 ille quidem non prius, quam multis
 acceptis verberibus, confessus est, quo
 facto, maximus omnibus iniectus fuit
 terror, adeo vt plurimi rebus, quæ
 moueri possunt, compositis inter mon-
 tes refugium quærent, interim non
 fuit quidquam ommissum, quod ad mu-
 niendam defendendamque urbem per-
 tinere visum est. * *Cruisades.*

Arauii a. d. 27. Iulii. Nocte, quæ in-
 ter 20. & 21. mensis huius intercessit,
 messorum quorundam incuria incen-
 dium ortum est vehementissimum, eo
 namque domus 8. cum horreis 30. quæ
 frumento ex agris congesto plena fuere,
 deletæ sunt, pecoraque quamplurima
 combusta; certe inde ab ipsa turri su-
 periore ad portam vsque *S. Laurentii*
 omnia in ciueribus iacent.

*Vrbs est Heluetia ad fluuium Arolam,
 ditionis Bernensis.*

Vienna a. d. 9. Augusti. Nudius ter-
 tius Imperator, vna cum Augusta, nec
 non serenissimis *Archiducibus*, *Maria
 Elisabetha*, & *Maria Magdalena*, comi-
 tantibus aulicis quamplurimis, *Volfers-
 dorffiam*, veredis vsus, concesserat, ibi-
 que venatione ceruorum semet oble-
 ctauit. Hodie vestes militares duabus
 Legionibus *Geschuindianæ* atque *Lo-
 tharingicæ*, nauibus impositæ, in Hun-
 gariamque dimissæ sunt. Militum præ-
 terea, ad supplendas legiones lectorum,
 complures centuriæ eodem sunt de-
 uectæ.

Pofonii a. d. 12. Aug. Supplementa le-
 gionum *Lotaringicæ* iunioris, iuxta &
Heisteriana, hac, diebus proximis, tran-
 sferre. Tempestas vitibus iam incipit esse
 commodior, quæ si constans fuerit, non
 est cur de vini melioris prouentu, dubi-
 temus.